



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

An Christum filiu[m] Dei naturalem confiteatur Nathanael.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

mundi delictorum. Sed visitatum est Caluino Apostolorum & discipulorum Domini omnia peccata exaggerare, & ubi nulla sunt, noua fingere.

§. 5. Miratur Nathanael cum audit, Messiam à Nazareth. Per interrogationem plerique legunt: ideo quærit an ex ea aliquid boni prodire possit? Galilæi omnes ob impietatem erant apud Ierosolymitanos infames, forte inter eos nequiores erant Nazareni, certe proteruius contra Dominum, quam vlla ciuitas egerunt, cogitabant enim eum de monte præcipitare. Causam dubitandi habuit, quam omnes Iudæi, c. 7. 41. & v. 52. Ex Bethlehem enim erat oriundus, promissus erat de castello Dauid.

§. 6. Cur Nathanaelem non elegerit in numerum Apostolorum, etiam quærent, alij putant ideo factum, quod doctus esset, Christo autem erat propositum, huius mundi contemptibilia eligere; alij Bartholomæum fuisse arbitrantur, omnia coniecturis nituntur. Hoc certum est, virum sanctum fuisse. Sine dolo dicitur, non sine peccato. Verus Israelita, simplex, rectus, non autem absque omni peccato. Testimonium hoc Christus illi dat venienti, & audienti.

§. 7. A Christo nos ubique conspicimus, omnia nuda esse in eius conspectu, etiam tenebras ipsas pellucere. Ideo nihil in oculis agendum, quod non omnium oculis expōitum reprehensione careat.

Nathanael dubitasse videtur, an Philippus, aut alius de se Christo qui quam dixisset; ideo quærit unde notit? cui Christus respondet; illum à se, cum sub ficu esset, notum. Solus autem sine arbitris, ne Philippo quidem conscio sub ficu egerat; itaque à solo Deo videri potuit.

Caluini de §. 8. Caluinus, & Nathanaeli, & nobis iniuriam Nathanael facit: [Tenet, ait, etiam aliud principium, non esse venturum filium Dei, nisi ut se Dei populo Regem præstet, merito itaque Regem Israelis faretur, qui filius Dei est. Et certe fides non in sola Christi essentia (vt ita loquar) hære debet, sed eius virtutem & officium attendere, parum enim prodesset scire quidnam sit Christus, nisi hoc secundum accederet, qualis erga nos esse velit, & in quem finem missus fuerit à patre. Hinc factum est, vt Patres non nisi vmbatitem Christum habeant: quia nudam essentiam apprehendere illis curæ fuit: regnum vero eius, quod seruandi virtute constat, neglexerunt. Porro quod Regem Israelis prædicat Nathanael, cuius tamen regnum ad extremos vsque mundi fines extenditur, confessio est ad fidei mensuram finita, necdum enim eo progressus erat, vt sciret toti mundo destinatum esse regem: vel potius vndique colligendos esse Abraham filios, vt totus mundus esset Israel Dei.]

Nathanaeli quidem iniuriam facit, cum fingit, eum nescisse Christum toti mundo destinatum Regem, quia prædicat Regem Israelis. At qui sic appellat, non negat Regem mundi. Angelus in domo Iacob regnaturum prædicat, non tamen negat esse regem mundi totius. Sic Matth. 2. 6. & 27. 9. Luc. 1. 3. & Ioan. 12. 13. Rex Israel dicitur, quia ex Israele natus, Israeli promissus fuit, sessurus in throno Dauid. Hoc modo Nathanael vocat Regem Israeli promissum, qui tamen omnia regna subiecturus sit, vt si quis Romanorum Imperatorem, totius mundi Dominum vocaret.

VERSUS 49.

Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi tu es filius Dei, tu es rex Israel.

QUESTIO I.

An Christum filium Dei naturalem confiteatur Nathanael?

§. 1. Chrysostom. alique confessionem eius tantum putant, quam fuerit Petri: Nathanaelem de filio adoptiuo: Petrum de naturali. Cuiusmodi. Cyrill. Aug. alij: Confessionem Nathanaelis plenam & absolutam existimant. Christum esse filium Dei naturalem, regem Israelis, non quemuis, sed magnum illum Messiam, quem Propheta prædixerunt.

Rationibus firmis hæc nititur interpretatio. Nathanael enim eum Dei filium, regemque Israelis agnoscit, quem Moses & Propheta prædixerunt, ad scripturam enim cum Philippus relegat, illi vero Messiam Deum, Dei filium prædicant, dominum etiam Dauidis, hoc etiam indicat articulus additus, singularem scilicet & vnicum filium indicant. Itaque nolim omnino assentiri illis, qui hanc confessionem arguunt, quasi imperfecta sit. Etenim in commune mysterium Trinitatis incognitum fuit, non tamen omnibus ex æquo. Veteres multi sic intepretantur, Nathanael Patrem enim inuisibilem existentem, ille qui in sinu eius est, filius eius est, in quo bene sensi, pernam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus annuntiabit: non contendet, neq. clamabit, neq. qui quam audiet vocem eius in plateis: calamus quassatus non confringet, & linum fumigans non extinguet, vsquequo emittat incensationem iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt. Etenim quidem sunt principia Evangelij, vnum Deum fabricatorem huius vniuersitatis, cum (&) per prophetas sit annuntiatus, & qui per Moysen legis dispositionem fecerit, Patrem Domini nostri Iesu Christi annunciantia, & præter hunc alterum Deum nescientia, neq. alterum Patrem.

Et pari modo Terullianus, non sciungit Petri & Nathanaelis confessionem, contra Praxean. cap. 21. Inde, ait, est agnus Dei ab Ioanne designatus, non ipse cuius est dilectus. Certe filius Dei semper, sed non ipse cuius est filius. Hoc cum Nathanael statim sensit: sicut & alibi Petrus: Tu es filius Dei. Hoc & ipse recte sensisse illos confirmat: Nathanaeli quidem respondens: Quia dixi, vidi te sub ficu, ideo credui; Petrum vero beatum adfirmans, cui non caro, neq. sanguis reuelasset (quod & Patrem senferat) sed pater qui inuolatus est. Quo dicto viriusq. persona constituit distinctionem, & filij in terris, quem Petrus agnouerat Dei filium, & patri qui in caelis, qui Petro reuelauerat quod Petrus agnouerat Dei filium Christum.

Fides igitur Nathanaelis, quæ & Petri, cum eodem modo Filium appellant. Filium Dei naturalem & regem Israelis, qui tamen regnaturus sit à mari vsque ad mare, & vsque ad terminos orbis terræ.

§. 2. Filium Dei vocat, naturalem, non adoptiuum. Alioqui nihil singulare de Christo testificaretur; Ioannes enim ipse & propheta filij Dei erant adoptione. In Christo ergo filiationem agnoscit, quam prophetis omnibusque iustis negat, illa igitur non per adoptionem, sed per naturam. Tollere enim peccatum mundi, non nisi diuinæ virtutis est. Ioannes autem hic in mentione baptismi filium Dei nominat, quia illo tempore vox audita est de caelo, qua filius Dei appellatus est. Miracula igitur Elisei non ostendebant eum Messiam; è contrario id miracula Christi præstiterunt. Miracula enim de doctrinæ veritate sunt testimonia: opera supra naturæ vires, solius omnipotentis eternæ effecta. Eliseus se non esse Messiam, sed Prophetam à Deo missum, de Messia prædicantem, & hanc doctrinam admirabilium rerum effectum. Deum in confessione Deus confirmavit, obsequiuntque. Christum probat Ioan-

Ioannes Baptista, & ipse Dominus, Messiam, filium Dei, verbum Dei, vnigenitum Dei esse saepe protestatus est, & ad hoc firmandum miracula fecit. Miracula igitur Christi omnia eo tendebant, vt fidem deditis & doctrinae suae conciliaret, cuius hoc praecipuum caput erat, filium Dei ad mundi redemptionem missum esse: Hoc igitur in animis eorum qui contumacia & perfidia non resistebant, efficiebant, vt crederent Christum esse Messiam. Non enim Deus mendacia, miraculorum sigillo vnquam muniuit, nec vlla miracula falsitatem persuaferunt. Deus enim negaret seipsum, si tanta auctoritate & potentia homines in errorem impelleret.

§. 3. Nathanael insigne exemplum est, ne facile & temere ex scripturis aliquem damnemus, sed serio diligenterque non modo verba, sed etiam sensum vestigemus. Clarum erat Messiam esse Bethlehem oriturum, Philippus cum à Nazareth esse affirmat, audit, & inquit Nathanael, nec Christo scripturam obijcit, sed facile cogitat, posse aliquem Bethlehemi natum, vocari Nazarenum.

VERSUS 50. & 51.

Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidite sub ficu, credis maius hoc videbis. Et dicit ei: Amen amen dico vobis, videbitis caelum apertum, & angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.

QUESTIO I.

Quomodo ascenderint & descenderint Angeli?

§. 1. Fidem celerem, & promptam confessionem Christus laudat, & maiora promittit miracula. Vnum ponit loco instar plurium, ministeria nempe angelorum, quo ostenderet se verum naturalem Dei filium, cui angeli filij Dei adoptiui ministrarent. Nam certissimum est deitatis argumentum, angelos qui in Dei conspectu semper astant, descendere & ascendere, & ministrare filio hominis.

Interpretationes variae: Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, referunt ad passionis & resurrectionis tempus. Luc. 22. 43. constat quidem angelos tum descendisse, confortasse, seruasse, sed an istos Nathanael viderit, non immerito dubitat quispiam. Nam hic de eo ascensu & descensu loqui videtur, qui viuente Christo, videntibus discipulis creber erat, angelum in hortu nemo vidit, angeli post resurrectionem non descenderunt supra filium hominis, dicunt enim: Surrexist, non est hic.

Chrysostomus etiam ad ascensionem pertinere putat. Vix sunt tum Angeli in vestibus albis, non tamen supra filium hominis descenderunt, quem iam nubes receperat in caelos.

Multo minus ad extremum iudicium pertinet. Venit quidem cum ministris angelis Matth. 26. de ea tamen gloria apud Nathanaelem sermo non est. Christus enim agit de signo, quo ad credendum firmitus fideles inducerentur. Maius his videbis, tu ipse viuens, alique fideles, non post multa saecula cum à mortuis resurrexeris.

§. 2. Dicendum est itaque angelos Christo Domino semper assistisse, frequenter forma aspectabili mi-

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

nistrasse, idque etiam fidelibus videntibus: de ministerio Matth. 3. 16. & 4. 11. constat. Hoc tantummodo obijcitur; Scriptum non esse; Verum inter tam multa & & hoc quoque recenseri debet. Ita nos sentire verba cogunt amodo, & & ab hoc tempore, & & demen chascha, à modo, quod significat tempus proxime insequens, & & deinceps.

Angeli visi-
bili forma
ministrant.

QUESTIO II.

An Angeli non sint inuocandi?

§. 1. Caluinus multus est in eo vt ostendat, angelos à nobis non inuocandos: I. r. c. 14. §. 12. [Quam igitur, ait, praeposterum est, ab Angelis nos abduci à Deo, qui in hoc sunt constituti, vt praesentem eius opem nobis testentur? Abducunt autem, si non recta ad ipsum manu ducunt, vt solum auxiliatorem spectemus, inuocemus, ac praedicemus: si non vt eius manus à nobis considerantur, quae nolumus ad opus nisi ipso dirigente se moueant: si non in vno mediatore Christo nos retinent, vt ab eo prius pendamus, in eo recubamus, ad eum fetamur, & ipso acquiescamus. Quod enim in visione Iacob describitur, haerere ac penitus infixum esse animis nostris debet, Angelos in terram ad homines descendente, & ab hominibus in caelum ascendere per scalam, cui insidet Dominus exercituum: quo indicatur sola Christi intercessione fieri vt Angelorum ministeria ad nos perueniant, sicut ipse affirmat. Posthac videbitis caelos apertos & angelos descendentes ad filium hominis. Itaque seruus Abraham, Angeli custodiam commendatus, non propterea ipsum inuocat vt sibi adsit, sed ea commendatione fretus preces fundit coram Domino, petitque vt misericordiam suam erga Abraham exeret. Quemadmodum enim non ideo potentiae bonitatisque suae ministros facit eos Deus, vt suam cum illis gloriam partiat: ita non opem suam ideo in ipsorum ministerio nobis promittit, vt nostram inter ipsos & eum fiduciam diuidamus. Valeat ergo Platonica illa philosophia de quaerendo per angelos ad Deum aditu, & ipsis in hunc finem colendis, quo Deum faciliorem nobis reddant: quam superstitiosi curiosique homines conati sunt in religionem nostram ab initio inuolare, & ad hunc usque diem perseverant.]

Angeli nos
ad Deum
ducunt.

Tota res verborum inanem pugnam continet. Nos in fiducia inter Deum & angelos diuidenda, nequaquam delinquimus. Christi meritum est, quod angeli nobis ministrant, Deus illis gloriam suam non partitur, non inuocandi sunt igitur angeli? Ad eum modum, non modò ministri regij rogandi non essent, sed ne fratres quidem, & proximi, vt auxilio suo nobis adsistant, vbi res exegerit. Periculum enim Caluino videtur, ne nostram fiduciam inter Deum & proximum diuidamus: cur angelum assistentem rogare non liceat, fratrem liceat?

Tobias iunior cap. 6. inuocat socium, quem Azarias putabat, non id licuisset, si Raphaellem esse sciuisset? An Daniel cap. 7. 16. peccauit, cum videret antiquum dierum, nec ad eum tamen, sed ad vnum ex assistentibus accessit, & quaesivit visionis interpretationem? Auxilia itaque humana & angelica, praescesque, sine Dei contumelia petuntur; his enim meritis Deus munera sua largitur.

Totum igitur hoc futile, non esse rogandum ministrum alterius, vt suam nobis operam praestet, illam inuocationem in contumeliam Domini credere: cum gloria Domini sit minister honoratus, & qui suos etiam, sed sub domini imperio ministros habeat.

X

CAPVT